

## TITULUS VIII.

DE SCHISMATICIS, ET ORDINATIS AB EIS. <sup>a</sup>

64. *Nota I. Schisma*, latinè scissionem, esse crimen, quo quis separat se ab Ecclesia, ut corpore, et Romano Pontifice, ut capite seu Vicario Christi, atque ità scindit unitatem Ecclesiæ (S. D. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1.) Differt à *seditione*, quia ista est divisio à corpore et capite politico; schisma verò à corpore et capite spirituali Ecclesiæ. Unde illi dicuntur schismatici, *qui subesse renuunt summo Pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant* (S. D. *ibid.*), licèt alioquin recognoscant Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ. Actus schismatici sunt: 1.º *Nolle obedire Papæ*, vel directè seu expressè recusando ejus mandata; vel indirecte seu ipso facto ità se gerendo, ac si non esset christianus subditus Papæ; 2.º *Recedere à ceteris Ecclesiæ membris*: ut seorsim conventicula celebrando, orationes, jejunia et alia spiritualia exercitia peragendo, quasi divisores hujusmodi essent corpus à reliqua Ecclesia distinctum.

*Nota II.* Schisma ex specie sua opponi charitati Ecclesiæ: et tunc dari *purum*, dum quis credit omnes articulos fidei, etiam illum, quo summam Papæ in terris potestatem profitemur; attamen ex perversa voluntate non vult ei se subicere et ceteris membris Ecclesiæ communicare, ut si provincia constituat sibi Patriarcham, cui in spiritualibus obediat sicut fecerunt Græci, et hodie faciunt Anglicani qui obediunt Regi, ut Vicario Christi in spiritualibus etc. In hoc sensu schisma differt ab hæresi, quæ fidei opponitur et negat aliquem articulum fidei; atque ità hæresis aliquid addit supra schisma, scilicet, dissensum in aliquo articulo fidei. Ceterum in praxi rarò invenitur schisma *purum*, sed plerumque admixtam habet, aut secum trahit hæresim; *Can. 26. inter 23. q. 3.*, ubi S. Hier. ait: *Nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Exempla obvia sunt in schismate Græcorum, Anglorum et aliorum Septentrionalium.

*Nota III.* Inter schismaticos propriè dictos non numerari:—1.º Subditos recedentes ab obedientia Episcopi vel prælati regularis, dum modò perseverent in obedientia Papæ, licèt in lata significatione dicantur schismatici (*Can. 7. scire 7. q. 1. et Can. 18. loquitur 24. q. 1. 2.*)—2.º Excommunicatos, quia hi non à se ipsis, sed à superiore divi-

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Sexto et Extrav. *com. h. t.*—In Decreto 23. q. 3. et sparsim in 24. q. 1.

duntur à corpore Ecclesiæ—3.º Recusantes obedire Papæ, quia nimis dura imperat, vel quia electio illius est dubia, vel quia non videtur esse dominus temporalis alicujus provinciæ.—4.º Provocantes à sententia Papæ ad concilium generale, ut Papa ei præsideat: secus si nolent Papam ei præsidere, quia tunc faterentur concilium esse supra Papam. Interim appellationes istæ sunt illicitæ, et prohibentur sub excommunicatione lata in casu 2. *Bullæ Cœnæ.*

65. Q. I. *Quæ sint pœnæ schismaticorum?*

R. Seqq.: 1.º Excommunicatio reservata Papæ (*Can. 5. d. 19. Can. 43. de Liguribus 23. q. 5. et in casu 2. Bull. Cœn.*), quæ tamen non extenditur ad receptores, fautores et defensores schismaticorum, licèt hi incurrant excommunicationem non reservatam (*c. un. h. t. in 6.*)—2.º Confiscatio honorum (*cit. c. un.*); reliquæ verò pœnæ, ut privatio dignitatum et beneficiorum, et aliæ ibi expressæ, restrictæ sunt per *Extrav. un. h. t. inter com.*, licèt per sententiam infligi possint.—3.º Inhabilitas ad beneficia et dignitates, saltèm si schismaticus est notorius (*c. 5. de elect.*)—4.º Privatio jurisdictionis Ecclesiasticæ, et suspensio ab usu et exercitio ordinum; et ideo invalidæ sunt collationes beneficiorum, et alii actus jurisdictionales: collationes verò ordinum sunt illicitæ, et scienter ordinati à schismaticis nominatim denunciatis suspenduntur ab exercitio ordinum (*cap. 1. et fin. hoc tit., Can. 6. Novatianus v. qui ergo 7. q. 1.*) Has penas meretur perniciosum crimen schismatis, in quo parvitas materiæ non admittitur. Si verò hæresis misceatur schismati, locus est pœnis contra hæreticos statutis.

66. Q. II. *Quæ sit pœna eorum, qui occulta conventicula celebrant?*

R. Conventicula ista, tanquam schismati, seditioni et hæresi faventia prohibentur graviter *c. 12. de Hær.* sub pœna ultimi supplicii; de Jure civ. *l. 5. C. de his, qui ad Eccl. conf.*, et domus illius, quo consentiente celebrata sunt, publicari et fisco addici debet (*l. 15. C. de Episc. et Cler.*)

## TITULUS IX.

DE APOSTASIS ET REITERANTIBUS BAPTISMA. <sup>a</sup>

67. Apostasiæ sunt quatuor genera; quia recedi potest à *fide, obedientia, ordine et religione*: quibus additur reiteratio *baptismi*, quasi quidam recessus à priori baptisate. *Apostasia à fide* est, totalis deser-

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto 6. q. 1. et 11. q. 3.—In Trid. *sess. 7. Can. 11 de bapt. et sess. 14. c. 11. de reform. sess. 25. c. 4. de Regg.*—In Codice *lib. 1 tit. 6. 7.*

tio fidei christianæ; ut si quis ex christiano fiat judæus vel turca. *Apostasia ab obedientia* est: dum quis Deo vel legitimo superiori contumaciter renuit obedire; atque ita cum contemptu præcepta eorum transgreditur. Si verò inobedientia oriatur ex ignorantia, fragilitate vel quadam aversione à prælato, secluso contemptu formali, minus est peccatum, et consequenter mitiori pœnæ substat. *Apostasia ab ordine* est: temerarius transitus à statu clericali sac. Ordinum ad laicalem conversationem. *Apostasia à statu religioso* est: totalis desertio status religiosi sine animo ad eum redeundi.

68. Q. I. *Quæ sint pœnæ apostatarum à fide, eorumque receptorum, fautorum et defensorum?*

R. Seqq.:—1.<sup>o</sup> *Excommunicatio* et aliæ pœnæ contra hæreticos statutæ c. 13. de *Hæret. n. 6.*: imò ob gravitatem majorem criminis, gravius puniendi sunt, etiam ultimo supplicio (l. 2. 4. 5. C. h. t.)

Est hic notandum ex sequenti decreto universalis Inquisitionis 18 Jul. 1630. approbato ab Urbano VIII., prout genuinè relatum est à Bened. XIV. lib. XIII. de *Syn. diœc. c. 20. n. 18.* «Apostatas à fide redeuntes ad pœnitentiam, non teneri ad abjurandam apostasiam publicè coràm infidelibus, sed sufficere, ut eam abjurent in balneo coràm fidelibus (putà si sint inter Turcas), abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis: si verò sit æquivocus, posse illum deferre. Quòd si ex illa delatione, ratione personæ aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere, cum primum poterint.» In decreto autem ab Albitio allato ulterius leguntur sequentia verba, quæ fuerunt theologorum, qui tunc rogati, suum sensum aperuerunt, non decreti. «Et curent, ut successu temporis convertant procurando etiam infideles, vel ab aliis eorum abjurantem, licèt id etiam cum periculo vitæ.»

69. Q. II. *Quæ sint pœnæ apostatantium ab obedientia?*

R. Seqq.:—1.<sup>a</sup> Si inobedientia oriatur ex infidelitate, locus est pœnis hæreticorum (Can. 5. d. 19.); si verò oriatur ex superbia et formali contemptu sac. Canonum et prælatorum, est infamia facti: deinde si contumax subditus persistenter, gradatim proceditur per pœnas mitiores: et tandem excommunicatur, et degradatus clericus curiæ sæculari traditur (Can. 3. si quis 3. q. 3. et c. 10. de *judic.*)—2.<sup>a</sup> Si inobedientia oriatur ex fragilitate, mitioribus pœnis locus erit. In Religionibus servantur propria statuta contra inobedientes lata.

70. Q. III. *Quæ sint pœnæ apostatantium à SS. Ordinibus?*

R. Seqq.:—1.<sup>a</sup> Excommunicatio ferendæ sententiæ (c. 2. h. t.)—2.<sup>a</sup> Infamia facti, et inde orta irregularitas, quæ tamen per pœnitentiam tollitur.—3.<sup>a</sup> Amissio privilegii Canonis post trinam monitionem Episcopi (c. 1. h. t. c. 25. de *sent. excom.*)—4.<sup>a</sup> Pœna carceris, si clericus apostata habitum reasumere renuat (c. 5. h. t.) Diffamatus vel suspectus de apostasia ab ordine, tenetur ad purgationem Canonicam (c. 3. h. t.), qua non præstita, habetur pro convicto.

71. Q. IV. *Quæ sint pœnæ scienter rebaptizantium et rebaptizatorum?*

R. Seqq.:—1.<sup>a</sup> De jure Can. uterque fit irregularis (Can. 65. d. 450. et c. 2. h. t.), et si clericus sit, deponitur (Can. 118. de *consec. d. 4.*): si laicus, excommunicari debet; Abb. Eandem irregularitatem contrahunt acolytus, subdiaconus et diaconus rebaptizanti ministrantes, si crimen sit publicum (c. 2. h. t.): in occulta verò irregularitate dispensat Episcopus vi Trid. *Sess. 24. c. 6. de ref.*—De jure civili rebaptizans et rebaptizatus ultimo supplicio afficiuntur (l. 2. C. ne set. *bapt. iter.*) Ceterum licèt confirmatio et baptizatio iterari eodem modo prohibeantur Can. 8. de *consec. d. 5.*, non tamen sub iisdem pœnis; adeoque pœnæ rebaptizantium et rebaptizatorum non sunt extendendæ ad reconfirmantes et reconfirmatos, cum irregularitas non sit asserenda, nisi in jure expressè reperiat (cap. 18. de *sent. excom.*)

Actum est de criminibus, quæ Deo, ejusque sancto cultui, fidei et religioni christianæ opponuntur. Nunc agatur de variis delictis, quæ charitati et justitiæ erga proximum adversantur, quatenus lædunt ejus vitam, famam, fortunas et alia jura, uti sunt parricidium, homicidium, adulterium et stuprum, rapina, furtum, crimen falsi, sortilegium, collusio: finitur materia ista in delictis puerorum (tit. 23.)

## TITULUS X.

### DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT. "

73. *Nota.* In h. t. agi de parricidio, quod in genere homicidii est crimen gravissimum: et definitur specificè, quòd sit homicidium in personam conjunctam dolo, seu scienter commissum. Et quidem, si liberi parentes, vel econtrà occidant, est propriè et rigorosè *parricidium*: si verò cognati collaterales aut affines aliquem ex cognatione aut affinitate occidant, est parricidium latè et impropiè tale. Porrò nomine parricidarum veniunt, et legi Pompejæ de parricidiis substant, liberi et privigni (non tamen adoptivi, cum non exprimantur), parentes, vitricus, noverca, nepotes et neptes respectu avi et aviæ, socer, socrus, gener, nurus, fratres et consanguinei usque ad IV gradum, maritus et uxor, libertus occidens patronum aut patronam: item cooperantes ad crimen parricidii, ut mandantes, consulentes, auxilium dantes, exequentes et hujusmodi: ita hæc omnia enumerantur l. 1. et seqq. ff. de *leg. Pompej. de parricid.* Econtrà à parricidio excusantur *ignari*, ut si filius occidat nesciens esse patrem; *furiosi* usu rationis destituti; et qui servato moderamine inculpatæ tutelæ, propter necessariam sui

a.—Agitur de hac materia in Pandectis lib. 48. tit. 9.—In Codice lib. 9. tit. 45. et 47.

vel boni publici defensionem occidit patrem vitæ aggressorem vel perduellem (*l. 9. in fin. eod. l. 3. ff. de Just. et Jur.*)

74. Q. I. *Quæ sint pœnæ parricidarum de Jure Canonico?*

R. 1.º Occisor parentum uno anno prohibetur ab ingressu Ecclesiæ et tribus onnis à sacra communione, et per decem annos jejunare, ceterasque pœnitentias implere tenetur secundùm præscriptum *Can. 15. Latorem 33. q. 2.*; sed hodie pœna est arbitraria.—2.º Mater vidua filium occidens detrudenda est ad monasterium, et à secundis nuptiis arcenda: si verò conjugata est, à viro quidem separari non debet, sed aliis condignis pœnis puniri (*c. 1. 2. h. t.*).—3.º Parentes, qui tenellos adhuc infantes in suo lecto collocatos culpabiliter opprimunt, tres annos pœnitentiam agere debent, et unum horum in pane et aqua (*c. fin. h. t.*), nisi culpa abfuisset; ut quia infans aliter à frigore defendi non potuit, vel placari, nisi in lectum receptus. Hodie in foro externo pœnæ istæ non attenduntur, cùm talia delicta à iudicibus laicis puniantur: pro foro autem interno secundum qualitatem delicti confessorius salutarem pœnitentiam injunget.

## TITULUS XI.

### DE INFANTIBUS ET LANGUIDIS EXPOSITIS. <sup>a</sup>

75. *Nota.* Exponere infantes septennio minores et languidos cujuscumque ætatis, qui propter infirmitatem laborare nequeunt, esse crimen gravissimum contra officium pietatis, propinquum parricidio, et à sensu humano alienum (*Nov. 153*): imò si infans vel languidus exponatur cum periculo vitæ, ut pereat, est formale homicidium. In foro saltèm interno à peccato excusantur parentes, qui ob causam egestatis, absque ullo periculo vitæ exponunt infantes in loco pio, præsertim pro talibus expositis destinato. Quod multi extendunt ad illos, qui hoc modo exponunt infantes ex causa infamiæ declinandæ; *Gonz., Reiff.*

76. Q. I. *Qui educare debeat expositos?*

R. 1.º Si nullus privatus reperiatur, qui expositos educare et sustentare velit, tenetur ad id locus pius pro expositis destinatus; deinde Ecclesia et communitas (*Can. 70. aurum 12 q. 2.*); tandem seculares et Ecclesiastici divites ad hoc pium opus cogi possunt; cùm in extrema necessitate expositi jus habeant ad alimenta.—2.º Proles alibi exposita remittenda est ad locum originis et domicilii, in quo parentes stabilem

<sup>a</sup>—Agitur de hac materia in Decreto *Can. fin. d. 87.*—In Codice *lib. 8. tit. 32. et Nov. 153.*

locum et sedem habent, et ibi alenda (*l. 1. 36. ff. ad municipal. l. 7. C. de incol.*); nam locus originis et nativitatis civem facit, licèt baptismus alibi collatus fuerit; quamvis Judæi, Turcæ et alii pagani si extra patriam suam baptizentur, plerùmque à loco baptismi civitatem capiant, ut statuitur in Conc. Basileen. *sess. 19.* At si infans natus sit ex matre vagabunda, ibi ali debet, ubi expositus est: quo sensu explicatur *c. un. h. t. l. 3. C. eod.*; nam vagabundi ubi sunt, ibi forum et civitatem sortiuntur.—3.º Domini tenentur famulis ægrotis succurrere, et eos curare, saltèm tenuibus expensis: secùs, si nequeunt, charitas dictat, ut divites succurrant ægrotis in hac gravi necessitate.

77. Q. II. *Quid juris acquiratur in expositum?*

R. 1.º Alens expositum, nil juris acquirit in ejus personam; putà nec patriam, nec dominicam potestatem (*c. un. h. t. et l. 3. C. eod.*) Nam sustentatio non facit adoptivum nec servum, cùm hoc utrumque sit exposito præjudiciosum.—2.º Sustentans, si ex misericordia hoc non facit, repetere potest ab illis, qui expositum sustentare tenebantur, et exposito, si intestatus absque liberis moriatur, succedit, excluso fisco, parentibus et consanguineis, utpotè indignis hæreditate (*arg. Nov. 115. c. 3. Barbos., Reiff.*)

78. Q. III. *Quæ sit pœna exponentium, et favor expositorum?*

R. 1.º Pater privatur patria, et dominus dominica potestate ipso jure et facto, ità ut filius et servus expositi fiant sui juris quoad onerosa: favorabilia verò omnia ex patria potestate descendente integra manent filio: ità *c. un. l. 3. et fin. C. h. t., et Nov. 153. l. fin. ff. pro derelicto.* Nam ob hoc grave crimen rectè aufertur potestas patria et dominica, et injuriam passis jus suum, et libertas conceditur.—2.º Si infans expositus est in loco periculoso, v. g. in sylva vel alio loco solitario, et periit, exponens tenetur pœna capitis (*l. 4. ff. de agnoscend. et alen. lib. et Const. crim. Caroli V. ar. 133. in fin.*) Si verò infans expositus sit in loco publico et frequenti, et casu periit, exponens fustigandus est: si tandem vivus repertus est, exponens relegatur; *ibid.*—3.º Expositi præsumuntur potius esse legitimi, quàm illegitimi: ità *Mench., Gonz. et alii contra Covar., Suar., Gar. et alios.* Nam in casu dubio capienda est præsumptio et conditio proli favorabilior; sed casus legitimitatis est dubius, cùm etiam legitimi ob egestatem vel aliam causam frequenter exponantur, ut patet in *Moyse, Cyro, Paride etc.*; ergò. Neque stylus Datarie est in contrarium; nam legitimitas ista vel fit ad cautelam tantùm, vel in casu certo illegitimitatis.

Cardinalis tamen *Petra Comment. ad Constitut. XXII. Sicuti IV. n. 11,* sentit tenendam esse tutiorem opinionem; ideoque quoad ordines saltèm suscipiendos, hos indigere dispensatione, cùm requiratur probatio legitimitatis, pro qua non sufficit præsumptio.

Nobilitas verò in expositis non præsumitur, quia non est qualitas necessaria, naturalis, seu communiter inhærens, sed probari debet.